

- 34 Communis sententia Juristarum est licere, & sequuntur plures Theologi, neque intercedere Usuram:
- 35 Fundamentum Juristarum est tex. in l. Curabit præses C. de action. Empti, & Venditi, cum aliis concord.
- 36 Non eodem modo Doctores explicant, in quo Aequitas legis consitit.
- 37 Considerantur plures, & diversi modi explicandi Aequitatem, dicta l. Curabit.
- 38, & sequentibus, usque ad 52., perpendunt decem modi explicandi, cum pluribus observationibus.
- 39 Resolvuntur argumenta Theologorum, qui dicunt solutionem fructuum compensatiuorum continere Usuram, & num. 54.
- 55 Res, quæ perit, etiam nondum soluto pretio, Empti perit, licet ei non fructificet, & quare.
- 56 Difficultas, quod Vendens habita fide de pretio, carius vendit, ita ut quandoque renuat presentem pecuniam, ut lucretur fructus compensatiuos.
- 57 Responso, quod si carius Vendat, excedens Juratum pretium, tunc excessus debet computari in fructus compensatiuos.
- 58 Vendens habita fide de pretio, licet posset Vendere presente pecunia, uitur Jure suo, &

ARTICULUS XXXIX.

De Negligentia Vendentium, & Ementium.

Emptio, & Venditio, quæ est unicus contractus utrinque obligatorius de re pro pretio tradenda, habet duo sibi substantialia, sine quibus esse non potest, nempe rem, & pretium §. Premium insit. de Empti, & Vendit., & explicat Cagnol. in l. 16. ff. de reg. Iuris, l. nec Emptio, & si consensu. de contrabenda empti, in qua l. nec emptio, dux solvuntur difficultates; prima quando venditur jaetus retis, vel partus nascitur, & similia futura in spe, tunc est emptio, & venditio; tamen contingere potest, quod pisces non capiantur, partus non nascatur, & tunc videatur Venditionem, & Emptionem fuisse sine

re; tamen solutio est, quod venditur, & emitur, in eo casu spes rei expectatae, quæ est res pretio estimabilis, licet minori, quam res ipsa expectata; Altera difficultas est, posse contingere, quod res non fiat existens ex culpa, & negligentia Emptoris, vel Venditoris, & hic est casus, qui ad nostrum facit institutum, putâ quia non apposita sunt retia in capturam pisces, aut avium, vel masculus non conjunctus est feminæ, ut in Ovibus, Equis &c., & tunc partus natus non est, & solutio est ex dicta lege, quod contra negligentem agatur ex empto ad damna, & interesse l. jaetus retis 12 ff. de act. Empti, & Venditi.

3 Dicitur autem multum, an ematur, & vinda-

- beneficio legis.
- 59 Etiam data mala intentione contrabentum, potest contingere, quod contractus sit justus, licet propter malam intentionem peccent.
- 60 Sententia tam Theologorum, quam Juristarum est probabilis.
- 61 Quot. es potest sustineri contractus, ut validus sit, & Justus, debet sustineri.
- 62 Etiam pro foro conscientiae.
- 63 Confessarius tenetur sequi opinionem probabilem paenitentis.
- 64 Emptor, qui non solvit premium rei, catenus tenetur ad fructus compensatiuos, quatenus ipse recipiat fructus ex re; limita tamen si non reciperet ex sua negligentia.
- 65 Fructus pendentes tempore contractus, consentent pars fundi, & augent premium; ideo non veniunt nomine fructuum.
- 66 Casu quo fiat venditio, habita fide de pretio, & intelligatur non translatum dominium, donec fiat solutio; ita nec debetur gabella pro contractu, nisi postquam fiat solutio.
- 67 Quando non fit solutio propter periculum evictionis, quasi premium retineatur pro cautione, adhuc debentur fructus compensatiivi, quia non debentur propter moram, sed propter equitatem legis supra explicatam.

Pars Secunda. Artic. XXXIX. 459

vendatur res futura, an verò spes, & jaetus retis, nam si vendatur res futura, ut Partus Ovium, Equarum &c. Emptio, & Venditio non est, si non nascatur partus, & est contractus conditionatus, vel tacite, vel expressè, si partus nascatur, ita ut si primo anno non nasceretur, expectandus esset secundus annus, si convenitum non sit de primo, nec taxatum sit tempus; quando autem Venditur, & Emitur spes, etiam si nihil capiatur sustinetur venditio, quia non res, sed spes, est materia contractus.

4 Similiter si vendatur res possibilis futura, quæ secundum naturæ cursum expectatur, multum differt, an spes vendatur; putâ si Vendotibi decem amphoras vini ex vuis nascitur in meo fundo; si enim vendo rem, expectandi sunt fructus, donec, vel hoc anno, vel sequentibus enascantur Uvae; si autem sola spes venditur, non ultra primum annum expectandum erit, sicuti nec ultra primum jaetus retis; sicuti Paulus ex Pedio respondit in l. inter stipulantem 83. §. sacram Vers. Pro quo, & illud ff. de verb. oblig., & post Bartol., & Dyn. Paris Syndic. in V. salarium vers. Rex concessit. in narrativa casu.

5 Dixi, quod de substantia emptionis, & venditionis sit res, & pretium; nomine autem pretii non sola pecunia, sed etiam corpus potest habere rationem pretii, dum datur corpus estimatum, & habita ratione ad estimationem, & valorem, servatur æqualitas rei, & pretii, ut ex l. 1. C. de rerum permutatione, ex communiori, & veriori sententia, colligunt Doctores allegati per Barbosam in ead. l. 1. n. 2., & 4.

6 Negligentia igitur contingere potest, tum ex parte vendoris, tum ex parte emptoris; & quidem ex parte Venditoris, si rem venditam negligat consignare, & tradere loco, & tempore, pro ut fuerat conventum, l. Venditor ff. de Evict., l. servus ff. de act. Empti, & Vend., ut Emptor possit uti, & frui, idest commodum, & fructus, ex re empta percipere, tamquam rei dominus, ad differentiam locati, in quo res traditur ad commodum, & fructus percipiendos, non tamquam domino, negligens autem in hoc casu, tenetur ad damna, & interesse, & posset conveniri actione Empti, & Venditi, l. ex-

empto in principio ff. de actione empti, & vendit.

7 Dixi, quod Emptor colligat fructus ex re empta, tamquam dominus, non tamen necesse est ad veram emptionem, quod reverà vendor sit dominus, cum possit quis vendere rem alienam, & tunc vendor tenetur de evictione, l. qui rem emit. C. de evict., cumque vendor non habeat dominium rei, neque potest illud in emptorem transferre; si verò esset verus dominus, tunc per contractum emptoris, transfertur dominium una cum naturali possessione, l. traditio 20., l. nunquam nuda 31. ff. de aquir. rerum domin., ita ut si inter partes ageretur, ut Vendor non transferret dominium rei venditæ, in emptorem, nulla esset venditio l. penult. ff. de contrabenda empti, sed potius contractus in aliam spem transiret, ut locationis, emphiteusis &c., vel commodati &c.

8 Non levius est quæstio, an vendor negligens rem tradere, possit præcisè cogi, an verò loco rei, ad damna, & interesse; præcisè cogi posse, importat, ut ita Jure cogatur, ut rem aliam loco venditæ nequeat tradere; si verò possit rem aliam tradere, ut solvendo damna, & interesse, non dicitur necessitas præcisa, sed causativa, & certò Jure communi attento, non necessitate præcisa, sed tantum causativa videatur teneri; ideoque negligens rem venditam tradere, tenetur ad damna, & interesse, l. i. l. ex emptio §. & in primis §. idem ait, l. si jaetus retis, cum aliis concordat, ff. de act. Empti, & vend., l. si traditio C. de act. Empt., & vend., ubi quod Judicis arbitrio taxatur damnum, & interesse, consideratis circumstantiis loci, & temporis, & qualitate personæ, ad latè tradita per Mascard. de probat. Concl. 934., ubi Concl. 935., qualiter hoc damnum, & interesse per juramentum probetur.

9 Cum distinctione tamen, procedunt plures allegati per Barbosam in d. l. si traditio n. 5. C. de action. Empti, & Vendit., nempe si rem possit tradere, cogatur præcisè, si minus ex culpa sua, tunc causativè, & tunc compellatur ad damna, & interesse Surd. decis. 253. num. 3., & Consil. 13. num. 25., Barzi decis. 111 num. 4., Cephal. Consil. 407. num. 39., Gibelin. de negotiat. lib 4. c. 4. artic. à num. 7., & pluribus seqq.; Dixi

Mmm 2 excul.

ex culpa sua, quatenus fuerit in mora culpabili, quia si impossibilitas sine culpa sit, putà, quia animal mortuum est, vel fundus assignatus militibus à Principe &c., tunc intrat regula, *quod impossibilium non sit obligatio l. impossibilum ff. de reg. Jur.*, sicuti nec tenetur Venditor rem tradere, nisi integro toto pretio recepto, quia emptor solvendo partem pretii tantùm, non acquirit rei dominium, neque pro rata pretii soluti, *Betr. ad Gregor. decif. 347. num. 18.* licet pro rata pretii soluti recipiat fructus compensatiros, ex æquitate infra explicanda. *Antonell. de tempore legali lib. 4. cap. 6. num. 10.*, & *I. Rota decif. 107. num. 5. p. 3. recent.*

10 Item venditor negligens rem tradere, si pretium, aut totum, aut in parte recepit, tenetur pro rata fructuum receptorum, fructus recompenstatiros tradere emptori, ne rem, & pretium habeat, quod est iniquum, quod non solum secundum Jus Cæfareum, sed etiam Pontificium ostendunt allegati per *Rebellum de Just.*, & *Jure tom. 2. lib. 9. q. 14. à num. 11.*, & per *Barbosam in l. curabit sub. num. 4. C. d. act. Empt. & Vend.*, iniquitas autem in eo vertitur, quod Venditor cum alterius Jactura locupletaretur, ut latè examinatur, & deciditur per *Rota coram Gregorio decif. 347.*, ubi addent. num. 18.

11 Obligatus vendere, quia sic convenit, si negligat potest cogi, aut pro eo potest Juxta vendere, & hoc modo cogere ad implendum, *l. si ob causam 13. C de viet.*

12 Sieuti, & potest cogire venditam liberare à Pignoribus, & hypothecis, si negligat, aut recusat, *l. ex iis prædiis C. de viet.*, ubi quod competit actio ex empto. *Amat. decif. Mar. b. 20. num. 24.*, *Gratian. decif. 54. num. 30.*, *Surd. decif. 165. num. 2.*, & seqq., *Merlin. de Pignor.*, & *hypoth. lib. 4. tit. 5. q. 154.*, & tenetur ad quanti minus, quia resonerata minus valet, quam libera.

13 Tenetur Venditor manifestare vitia occulta rei venditæ, unde omittere talem manifestationem, culpæ imputatur; utrū autem causet nullitatem contractus, vel tantum pretii diminutionem, non unica responsione dissolvitur; nam primò certū est, quod ubi vitium, vel sit in substantia, vel in qualitate, vel in quantitate, tale sit, quo cognito, emptor nullatenus emis-

set, tunc Contractus nullus est, ex defectu consensu, & in foro externo datur actio redhibitoria, ad rehabendum pretium, & rem restituendam. *Rebell. de oblig. Justitie lib. 9. q. 8.*, *Gibellin. de Negotiat. lib. 4. c. 4. artic. 5. num. 18.*, *Bonacina de contract. dispt. 3. q. 2. puncto 6. num. 2.*, & si ex tali omissione manifestatione sequerentur damna Emptori, Venditor teneatur ad ea, *l. 1. C. de Adilitiis action.*, alias omittendo manifestationem, censetur circonvenire Emptorem, ad allegata per *Barbosam in dicta l. 1. num. 2.*, *Surd. decif. 146. num. 7.*, hæc autem omissione dupliciter contingere potest; primò positivè aliquid efficiendo, ut Vitium lateat; secundò negativè tacendo, scilicet, & non manifestando vitium, quod de se latet; quocunque ergo modo omittat, dicitur vendere in dolo, ac per consequens violat Justitiam.

Tanto magis, si Venditor omnino negasset rem venditam habere tale vitium, tunc enim positivo mendacio vitium occultat, sicque potest hodie exemplificari, curasisti proxeneta, ut ad meum famulatum in domum meam recipiam Sticcum, vel Gemmam promittens, quod probierunt, fideliter gerent famulatum, & tamen sciebas vitio probrosos esse, solitosque furari, aut infideliter inservire, quod Jura exemplificant in servis, nempe mancipiis, & Ancilis, quod Venditor Iciens, vitium tamen occultat, & oppositum promittit ad tex. *l. Julianus §. item qui furem ff. de action. Empt. & Vend.*

15 Si verò vitium non manifestatum tale sit, quo cognito adhuc emptor emisset quidem, sed minori pretio, tunc venditor tenetur restituere excessum pretii, & ad damna, & interesse, alias non servaretur aequalitas pretii ad rem, & rei ad pretium, contractus tamen sustinetur.

16 Non sic, si conditionata fuerit emptio, ea scilicet conditione, si res tale vitium non habeat, quia non verificata conditione debet consensus; tum quia conditio inducit formam, qua omessa contractus non fortitur effectum, *l. qui bæredi*, *l. Mævius ff. de condit. & demonstrat.*, & conditio suspendit actum, donec impleatur, *l. si quis sub conditione ff. si quis omessa causa*, & deficiente conditione deficit conditionatum. *Bald. Consil. 478. lib. 1.*, & conditionedeficiente,

con-

contractus censetur resolutus usque ab initio, *l. necessario §. 1. ff. de peric.*, & commendo rei vendite, *Surd. de alim. tit. 9. q. 4. num. 23.*

17 Verùm quia potest contingere omissione manifestationis vitii occulti, vel quia venditor vitium ignorat, vel si novit, tamen artificiose verborum involucro, dicit, se nolle ad quidquam teneri, vel habeat, vel non habeat vitium aliquod res divendita, ut solet contingere in nundinis, & emporiis; vendit enim aliquis Equum, quem reverè novit habere occultum vitium, sed dicit vendo tibi (*pro sacco ossium*) & ad nihil teneri volo; In hoc ultimo casu solutio videtur deduci posse, ex *l. quæro 39. ff. de action. Empt. & Vend.*, ubi involucro verborum celatur dolus; & casus legis est, vendit Sempronius agrum dicendo, vendo quidquid possideo intra hos designatos confines, & tamen partem quamdam, inter illos fines scienter non possidebat. *Coccin. decif. 521. num. 7.*, vel vendit agrum hoc alio involucro verborum (*si habeat servitatem, habeat, si non habeat, non habeat*) in hoc casu venditor tenetur ad damna, & interesse, & quanti minus, quia tale involucrum verborum, tunc tantum prodesse potest, quando venditor re vera ignorasset servitatem; at si sciens, tamen tali involucro, reddit rem dubiam, ita ut emptor non sit certus de vitio, & consequenter concipit aliquam spem de libertate rei, & carius emit sub tali spe circumventus; ideo venditor tenetur clare, & specificè vitium detegere, pro ut novit, nec sufficit sub generali involucro verborum, rem potius occultare, quam manifestare, ut notant *D.D. in d. l. Quæro, & Alexander Consil. 63. vol. 6.*, & dicta decif. *Coccin.*

18 Dictum est (*si vitium sit occultum, & latens*) nam si patens, Et Emptor diligens possit illud dignoscere, tunc per generalem protestationem, venditor liberatur ab omnibus onere, & valet contractus, *Coccin. 541. à num. 2.*, & seqq.

19 Si verò Venditor vitium reverè ignoravit, omessa manifestatione, non fuit causa damni, ac propterea ad damna non tenetur, nisi quatenus pretium receptum excederet verum valorem rei vitiosæ, & tunc remittendum esset ad aequalitatem, quam requiri-

rit Justitia commutativa; Venditor ergo sciens vitium, & ad cautellam involucro verborum occultans, dicitur dolosè circonvenire, & decipere emptorem, *ad tex. in l. 1. §. 1. ff. de action. Empt. & Vend.*, ubi glof. in *V. voluit*, *l. queritur §. si venditor ff. de edilitio edic.*, *l. qui libertatis 69. ff. de evitatio*, *Antonell. de temp. leg. lib. 2. c. 31.*, & de materia in *l. Julianus ff. de act. Empt. & Vend.*, *Gratian. discept. for. c. 365. nu. 1. 3.*

20 Quo verò ad praxim in Nundinis de vendendo equo, sub hoc involucro verborum (*vendendo saccum ossium*), quod importat nolle teneri de vitiiis, etiam occultis; dico sustineri, quatenus venditor sciverit, scire debuerit, hunc esse stylum in Nundinis, & inter homines vilioris conditionis, qui vulgo dicuntur *Baratini*, ac per consequens viilius emunt; ea ratione, quia contrahens scit, aut scire debet conditionem ejus, cum quo contrahit, ad allegata per *Cagnol. in l. 19. ff. de reg. Jur.*, undè consentit, nec potest dicere, se circumventum, secus extra Nundinas, & inter homines probos, qui bona fide, & cum Justitia debent, & profitentur se contrahere, *Gibal. de Negotiat. lib. 4. c. 4. artic. 5. num. 20.*, *Cepolla de simul. contratum 22.*, *Stracca de Mercat. p. 2. rubr. de Statu. Mercat. n. 7.*, *Tiraquell. de legibus connub. in l. 9. n. 7.*, *Farinac. frag. Crim. V. decipere n. 42.*

21 Nec dicas omissionem manifestationis vitii occulti licere, etiam rigoroso pretio recepto ex reg., (quod contrahentibus licet se decipere infra dimidium), *l. rem majoris 2. C. de rescind. vendit.*, *l. in cause la 21. §. idem Pomponius ff. de minor.*, *l. si bæres la 1. ff. ad l. falcidiam*, *c. cum dilecti*, *c. ad nostram*, *c. cum causa de Empt. & Vendit.*, & ex allegatis per *Farinac. V. Decipere Fragment. Criminal. num. 29.*, & seqq., & latè *Barbo. sa in dicta l. rem majoris C. de rescind. vend.*

22 Pluribus enim modis tollitur obiectum; primò, quod leges dicunt contractum non rescindi pro foro externo, ad obtruncandas litium causas, quæ innumeræ quotidiè insurgerent, non tamen talem deceptionem approbant, ut justam; neque relevat, quod in d. §. *Idem Pomponius*, habeatur naturaliter licere, cum faciendo in *V. naturaliter*, quasi idem importet naturaliter licere, ac *Justè l. 1.*, ubi glof. *l. filius ff. de condit. Infit.*, *l. qui ad certum ff. locati*, dum Theologi conscientiam regunt secundum